

---

**De Hippolytis Euripideis Quaestiones Novae (Latin  
Edition)**

**Kalkmann August**

---

**Title: De Hippolytis Euripideis Quaestiones Novae (Latin Edition)**

**Author: Kalkmann August**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**









3157

DE

HIPPOLYTIS EVRIPIDEIS

QVAESTIONES NOVAE

SCRIPSIT

AUGUSTVS KALKMANN


---

BONNAE

APVD E. STRAVSS


MDCCLXXXII

19



~~Ge 36.809~~

Ge 36.809



Salisbury Fund.

67.




**FRANCISCO BVECHELER**

**RENARDO KEKVLÉ**

**HERMANNO VSENER**

**S.**



Novas has quaestiones inscribo, non tantum quia materiam ab aliis tractatam retractavi, sed quia insolita ratione ab Hippolytis Euripideis ad serioris aetatis litteras ascendens in vasto maxime Alexandrinae poesis campo geminarum fabularum vestigia persequi conatus sum. Nam qui Hippolyti fabulam examinarit, quomodo a poetis et ab artificibus tractata sit, quod olim in libello praemio ornato praestiti, eum non fugiet, quantopere utraque Euripidis fabula etiam extra fines Atticos et audientium et legentium animos commoverit. — Neque vero incommode mihi videor antea nonnullas de servata Hippolyti fabula quaestiones, quae praecipue ad personarum mores spectant, proponere, cum illae, si quae unquam, non certi singulique homines sint, qui semel vixerint, sed potius ad certum quoddam hominum genus pertineant<sup>1</sup>. An non intellegis, quantopere haec res imitationem adiuvarere debuerit? Inde autem ad tragoediae deperditae imaginem redintegrandam progressi iam paratiores et quasi sponte ad alteram illam dissertationis partem traducemur.

## I.

Euripidem etiam sine diserto testimonio, quod facetus ille comicus Atheniensis ipsi invidioso aemulo subicit (Arist. Ran. 959), sciremus ad domesticam et communem vitam (*οἰκεία πράγματα*) animum maxime rettulisse. Quo factum est, ut, cum ab ipsa vita colores ad heroum scaenam illustrandam sumeret, in eorum moribus describendis saeculi sui naturam indolemque saepius exprimeret. Licet igitur poeta in Hippo-

---

<sup>1</sup> Hoc Lessingius (Hamb. Dramat. N. 95) ita: 'Mehr die personifizierte Idee eines Charakters als eine charakterisirte Person'. Cf. Brunn Künstlergesch. II p. 87 ff.

lyto eximiae virtutis imaginem ab antiqua fabula praeformatam adumbraverit, tamen ornamenti, quae libere interponit, plane ad saeculi sensum apparatus sunt. Nam in eo, qui esu carniū abstineat et librorum 'fumis' incubet, qualem Theseus filium describit (v. 952 sq.), Welcker<sup>1</sup> dudum verum Orpheotelesten cognovit, non iudicio usus suo sed poetae ipsius auctoritatem (v. 953) secutus; qui etiam ad mysteria celebranda Hippolytum Athenas profectum esse fingit (v. 25). Atque eandem sectam prae se ferre videtur, cum acerbissimis ac paene ridiculis maledictis Hippolytus totum feminarum genus figit (v. 616 sq.)<sup>2</sup>. An putas poetam, quanquam mulieribus non favebat, inter has mordacis calami fictiones non risisse, cum eius sana mens ex aliis dictis satis aperte perluceat<sup>3</sup>. Nescio autem, an ille eodem consilio heroem suum intoleranter se iactantem et gloriantem introduxerit, neminem intra patriae fines exstare, qui tanta virtute praeditus sit quanta ipse (v. 993 sq. 1100); quam iactationem paene circulatoriam Theseus antea de Orphico filii victu disserens aperte denotaverat v. 952: ἤδη νῦν αὖχαι et v. 950:

*οὐκ ἄν πιθοίμην τοῖσι σοῖς κόμπους ἐγώ.*

Atque e re est hoc loco versus conclamatissimos multaque agitato controversiis 73 sq., quos Hippolytus pronuntiat in Dianae statua redimienda, examinare. Certe agitur de prato Dianae, pastoribus non colendo, sed quod Hippolytus affirmat v. 79 sq., iis tantum licitum esse flores decerpere, quibus natura virtus et temperantia insita sit, si ad veritatem et recon-

<sup>1</sup> Kl. Schrift. II p. 474. Tragoed. p. 749. cf. Lobeck Aglaoph. p. 246. Noli tamen negligere haec Thesei filium obiurgantis et obiurgiae exaggerantis esse. Neque ille in mysteria invehitur, sed tumidos Orphei sectatores carpit; quod moneo contra Wheelerum nullo iure hos versus in suspicionem vocantem (de Alcest. et Hippol. Eurip. interpol. p. 59 sq.). Hippolytum autem praeter 'Dianam reginam' Orphea regem habere, non video, cur negemus.

<sup>2</sup> Orpheum coenisse tradunt (cf. Clem. Alex. Strom. VI, 739)

*Ὡς οὐ κύντερον ἦν καὶ ἄλιον ἄλλο γυναικός.*

<sup>3</sup> Conferas ex. gr. frg. 658:

*ὅστις δὲ πάσας συντιθεῖς ψέγει λόγῳ  
γυναικας ἐξῆς, σκαιός ἐστι καὶ σοφός κτλ.*

et frg. 164: ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα συμπαθῆς γυνή.